Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1285
Quelle:
Copyright:

altissima paupertate tempore pape Johannis XXII. sive Examen eorum per quaestiones in hunc modum: *Primo inquirimur, si papam Johannem credimus esse uerum caput et Rectorem sancte ecclesie, et habere potestatem, quam habuit Beatus Petrus. Respondemus, quod credimus, quod credit sancta ecclesia.* Hoc effugio non semel utuntur, ceterum de iis, quae Papa in eorum Ordinem possit, audacter responsant. Interrogati, an credant F. *Petrum Johannis Olivi*, e cujus doctrina *Begardi* et *Fratricelli* propullulasse perhibentur, *fidelem et katholicum et gloriosum in paradyso?* Reponunt: *Credimus sanctum petrum Johannis fidelem et catholicum et gloriosum in paradyso, licet nondum canonizatum ab ecclesia.* Examini subditur: *Supradicti sunt articuli propter quos fratres minores et pauperes ewangelici fuerunt combusti et martirizati in prouincia, in aquitania et cathalonia et pluribus alijs locis. Modo secuntur nomina et loca centum et XIII. combustorum.* Verum Librarius ea praetermisit. 5) Professio Fidei: *Ego frater Jo. de Arquata* (Territorii Anconitani, aut Patavini?) *christi pauper et seruus inutilis ante omnia dico et protestor me firmiter credere et tenere et obseruare uolo perpetue illa fide katholica, quam ecclesia Romana et apostolica, que mater est omnium fidelium et magistra credit* &c. Mox de altissima paupertate Christi et Apostolorum, et Regula S. *Francisci*, tum vero *Johannem* XXII. vixisse et obiisse ait *perfidum et pertinacem hereticum*, ejus IV. Constitutiones *Statuta* vocat *hereticalia*, iisdemque diris devovet *Benedictum XII. Clementem* VI. et *Innocentium* VI. Non igitur scripta haec post a. 1362. quo *Innocentius* excessit. Atque hanc Συλλογὴν nuspiam vidisse me memini typis excusam.

IV. *fol.* 73. p. 2. *Incipit liber de itinere.* Dic: *de Itineribus Aeternitatis D. Bonaventurae.* Initium: *Eum qui uenit ad me non eiciam foras* &c. Ut T. VII. *Opp. supracit.* p. 135. Ad calcem Index, et: *Explicit hoc totum, infunde, da mihi* (potum?) *nummum. Amen dicamus, ut cum Christo maneamus &c. puntb.* Id est *Bundschub.* Proverbium joculare Vulgi nostri.

V. *fol.* 150. *Incipit liber beati Augustini de Spiritu et Anima.* Initium: *Quoniam dictum est mihi, ut me ipsum cognoscam* &c. Ad *Alcherum* monachum *Cisterciensem* referunt *Mauriani*, ut videre est in *Append.* T. VI. *col.* 35. Ad calcem: *Finito Libro sit Laus et gloria Christo.* Dein:

Finiui librum. Scripsi sine manibus ipsum.

To *sine manibus* torsit quosdam, qui versum hunc apud Praedicatores ad S. *Marcum Florentiae* Libello *Alberti M. de Homine Dordraci* olim a. 1445. subjectum invenerant, suspicatos, esse for-